



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

187. fer. 6. de negligentibus celebrare, vel audire Missam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Fer. 5. Dom. infr. Oct. Corp. Christi. 329*

*afflictiones relevo: & c. 17. Ad Agnus Dei,*  
1. Offero me Deo Patri cum omni exinanitione pro vobis. 2. Offero me cum omni amaritudine Passionis meae in plenam reconciliationem. 3. Cum toto amore divini cordis in supplementum bonorum, quae homini desunt.

*Cons. 3. Nullum esse in natura medicamentum contra omnes morbos: quia nullum habet in se qualitates contrarias aptas curandis morbis omnibus. Sola Eucharistia universalis medicina est: imò omnia: Dominus noster nunc est pars in singulis, in Salomone sapientia, in David bonitas, in Iob patientia, in Petro Fides, in Paulo zelus, in Ioanne virginitas, in ceteris cetera: in Eucharistia esca, ipse est omnia, ita D. Hieronymus. Epist. ad Adamant. Audiam nunc interrogantem Chrysostr. hom. 27. ad pop. Quare quaso, sub Apostolis virtutes edebantur, sub nobis vero nequaquam, cum idem sit Deus? & respondet: non est par usus. Petam uti SS. Eucharistia, sicut oportet.*

MEDITATIO CLXXXVII.

*Fer. 6. Dom. infr. Oct. Corp. Christi.*

*De negligentibus celebrare, vel audire Missam.*

**A**spiciam Sacerdotem in throno Altaris sacrifican-



330 *Fer. 6. Dom. infr. Oct. Corp. Christi,*  
sacrificantem Domino Hostiam immacula-  
tam in odorem suavitatis. Petam agnoscere,  
& evitare reatum intermittentium Missam  
celebrare, vel audire debite.

*Conf. 1. Verba S. Bonav. tr. de præp ad*  
*Miss. c. 5. Sacerdos non legitime impeditus ce-*  
*lebrare omittens, quantum in eo est, privat SSi*  
*Trinitatem laude, & gloria, Angelos letitiâ,*  
*peccatores veniâ, justos subsidio, grato in Par-*  
*gatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spiri-*  
*tuali Christi beneficio, seipsum medicinâ, & re-*  
*medio contra quotidiana peccata, & infirmita-*  
*tes. Quomodo respondebo Deo his septem*  
*fructibus cœlum, & terram spolians,*

*Conf. 2. Quomodo non solum hominibus*  
*sed, ut ait Rupertus, lib 3. in Exod. cap. 10.*  
*Hic panis victus est, & vita Angeli substantia,*  
*nam in eum desiderant Angeli prospicere;*  
*quod quia contempsit Angelus facere, ceci-*  
*dit, & factus est diabolus, qui & hujus panis*  
*sempiternam patiens inedia, semper est*  
*pallidus, & mors illum sequitur.*

*Conf. 3. Verba Chrysoft. homil. 45. in*  
*Joann. Si pure accessisti, ad salutem accessisti,*  
*sin pravâ conscientia, ad pœnam, & supplicium:*  
*& S. Cypri. Nec evasisse se credat, si eum interim*  
*pœna distulerit: cum timere plus debeat, quem*  
*sibi Dei iudicis censura servavit. Inter an-*  
*gustias constitutus; Si non celebros, reus*  
*suum:*



*Sabb. Dom. infr. Oct. Corp. Christi. 338*  
sum: si indignè, magis reus: itaque conscientie puritati me totum addicam.

MEDITATIO CLXXXVIII.

*Sabb. Dom. infr. Oct. Corp. Christi.*

*De fine, quo accedendum ad  
Missam.*

**A**udiam Seraphicum Doctorem instruendum, quibus affectibus ad Missam accedendum sit: ut enim aqua talis apparet, quales sunt flores prati, per quod labitur, sic Christus juxta cuiusque dispositionem esse communicat, Petam eos intelligere, & exercere.

*Conf. 1.* Non accedendum desiderio avaritiæ, aut vanæ gloriæ, aut humanæ complacentiæ, temporalisque favoris causâ, vel consuetudine, sicut multi his diebus abutuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem; sed trahat te conscientia & remorsus delictorum ad veniam culpæ & poenæ, infirmitas tua, ad medicinam: tribulatio ad protectionem & gratiam spiritualem, peccatum, cui Pater nihil negare potest, obtinendam: trahat te cultus Dei, religio, & amor Dei, ac unio, gratiarum actio pro innumerabilibus beneficijs, laus Dei, & Sanctorum, quibus nihil præstantius offerri potest: compassio proximorum, nihil enim pro vivis & defunctis.